



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 28. Bellum Hungaricum contra rebelles Ragotsianos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. XXVIII.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1709.

*Bellum Hungaricum contra rebelles Ragotsianos.*

Interim foederati rebelles Hungari nu-  
pera clade attriti, Cæsareisque co-  
piis undique pressi, Tolvayum Vien-  
nam ablegarunt, inducias petiturum.  
Ragotsius quoque pacis desiderium si-  
mulabat, hancque in rem Hungaros  
Cassoviam ad comitia venire jussit: nec  
se a concordia alienum exhibuit Impe-  
rator, qui aliquot hebdomadarum in-  
ducias rebellibus obtulit, ut de ineunda  
pace secum agerent: Ast Ragotsianos  
simulatione uti, monuit Heisterus, bre-  
vique eos nonnisi ad reparandas vires  
moram quærere apparuit; præterquam  
enim, quod cuncta, uti possiderent, sibi  
relinqui peterent, insuper quamprimum  
depulsis Germanorum stationibus Uivar-  
inum propugnaculum ab Heistero cin-  
ctum copiosa annona, recenteque mi-  
lite firmaverant, cogendis undique co-  
piis intenti Polonos, Bosnienses & Ar-  
nautas Gallico ære ad sua signa per-  
traxere, rejectisque, quas Cæsar offe-  
rebat, pacis conditionibus hostiliter a-  
gere continuarunt. Eapropter Heiste-  
rus militum supplementis auctus, ac  
Danubium transgressus, post crebras,  
eas-

*Kettel. De-  
cad. V.  
pag. 567.  
Epist. Clem.  
XI.*

Sæc. XVIII easque rebellibus infestas velitationes  
 A. C. 1709. die vigesima quinta Augusti Simon-  
 thornam & die septima Septembris Ve-  
 sprimum, Ekstenio Præfecto, alias  
 Kalloræ perfido proditore carnificis gla-  
 dio, aliis sex Ductoribus glande truci-  
 dari iussis, expugnavit, totamque in-  
 feram Hungariam, nullo jam loco mu-  
 nito Ragotsianis relicto, subegit: Ulte-  
 rioris fortunæ spem haud parum pro-  
 moverant Revayus Baro, & Lubomi-  
 rus Princeps, quorum prior cum sua  
 equitum centuria & ducentis minoris  
 Ordinis Nobilibus a Ragotsianis defecit,  
 alter vero promissis expugnatus ad Cæ-  
 sareas partes cum tribus Germanorum  
 peditum & sexdecim Polonorum Equi-  
 tum signis transit, & Potoczkyum una-  
 cum Suecis, Gallis & Polonis suis in-  
 tercepit: Heisterus vero continuato  
 victoriarum cursu Szeclinum non sine  
 magna rebellium clade occupavit: Nec  
 suis quoque partibus defuit Pontifex;  
 cum enim ex Ordine Ecclesiastico quam-  
 plures tumultuantium rebelliumque  
 numero accedere, turbasque concitare  
 vel saltem fovere intelligeret, datis die  
 decima septima Augusti literis ad Chri-  
 stianum Augustum Cardinalem de Sa-  
 xonia omnibus utriusque Cleri Eccle-  
 siasticis sub gravissimis poenis præcepit,  
 ut statim cessent, & imposterum om-  
 nino

nino abstineant ab omni actu, per quem quovis pacto suscitari, augeri, aut con-  
 foveri possent ejusmodi motus, seditio-  
 nes & bella: ejusmodi quoque pœna-  
 rum executores nominavit præfatum  
 Cardinalem.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1709.

§. XXIX.

*Belli Hispanici continuatio.*

Iterata clades, frumenti caritas & pe-  
 cuniarum penuria, qua universum  
 Franciæ Regnum premebatur, Ludo-  
 vicum Galliarum Regem impellebat,  
 ut per summum Pontificem, Electorem  
 Bavarum, aliosque obliquis saltem viis  
 pacem peteret: hoc autem anno Rex  
 Ruilleum, & postea Torcium Legatos  
 Hagam decrevit, quorum opera in tri-  
 ginta octo articulos, ut vocant, præ-  
 liminares cum Eugenio Principe & Mar-  
 leburgo Duce, Cæsaris & Anglorum  
 nomine conventum est, quorum præ-  
 cipui fuere, ut Philippus totam Hispa-  
 niam cederet Carolo, Galliarum Rex  
 Argentoratum, Dunckerkam, aliaque  
 loca tum redderet tum demoliretur, &  
 novum Electoratum in Hannoverano,  
 Prussiz Ducem tanquam Regem, &  
 Annam in Britanniz Reginam, ejus-  
 que Successores ex linea Protestantica  
 agnosceret, articuli vero quarti clau-  
 sulam

Hode Hist.  
 de Louis  
 XIV. l. 59.  
 pag. 67.  
 Wagner  
 Hist. Jo-  
 seph. I.  
 pag. 285.